

Urbanus pro legato regni Franciae.

Papa Frederico archiepiscopo Coloniensi committit, ut decanum et subdecanum majoris ecclesiae Coloniensis omnesque eorum complices, qui statutis et ordinationibus ad reformationem ecclesiae pertinentibus se opposuerant, officiis et beneficiis ecclesiasticis privet. [1370—1414.]

Duci Austrie S. et mulieri ejus B. conceditur, missam et alia divina officia celebrare, antequam dies elucescat. I.

Deputatur legatus ad inquirendam hereticam pravitatem juxta constitutiones F[rederici] olim Romanorum imperatoris.

Mandatur episcopo cuidam, ut sedecim clericis, quos Wilhelmus dux Bavariae ei duxerit nominandos, de sedecim beneficiis ecclesiasticis provideat.

Martinus V. mandat omnibus episcopis et personis ecclesiasticis, ut citatum ad Romanam curiam Johannem comitem de Armenaci, socium Petri de Luna, de cujus oppositione varia narrat, in veniendo ad curiam nullam inferant injuriam'.

Aus der Abtheilung 'Exemptiones': 'Urbanus fratres domus ordinis Praedicatorum oppidi Clivensis, Coloniensis diocesis, a potestate prioris provincialis Saxoniae eximit ac jurisdictioni prioris provincialis Teutoniae perpetuo supponit.

Urbanus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Regularem vitam professis sic expedit subtrahi inquietudinis et turbacionis materiam, quod in contemplacionis suavitate quiescere valeant et tranquillum domino reddere famulatum. Sane peticio pro parte dilectorum filiorum prioris et fratrum domus ordinis Praedicatorum opidi Clivensis¹⁾, Coloniensis diocesis, nobis nuper exhibita continebat, quod, licet a multis retroactis temporibus per magistrum predicti ordinis, qui tunc erat, et capitulum generale ipsius ordinis in tota Alamania unus dumtaxat prior provincialis Teutonie vocaretur²⁾, cui omnes et singuli fratres quorumcumque locorum dicti ordinis in Alamania consistencium obedirent et responderent, [et] deputatus fuisset; tamen postmodum quadam vice contingit, quod propter nonnullas causas quorundam fratrum dicti ordinis, quas ipsi in capitulo generali coram magistro et diffinitoribus ejusdem capituli allegabant, dissenciones exorte fuerunt, ad quas sedandas per magistrum et diffinitores predictos in eodem capitulo statutum extitit et ordinatum, quod dividendo loca dicti ordinis in dicta Alamania consistencia duo priores, quorum unus Teutonie alius Saxonie priores provinciales nuncuparentur, deputarentur, qui deputati fuerunt; — in qua ordinatione inter cetera fuit ordinatum, quod prior et fratres opidi predicti, quod quidem in ducatu Clivensi consistit, de provincia Saxonie et priori provinciali Saxonie subjecti essent; — et quod fluvius Renus nuncupatus predictas

1) 'op. Cliv.' durchstrichen cod. 2) 'vocar. et' cod.